

Petrus de Vinea

*Ep. I 10. (Hucusque satis,
ut loquamur ad litteram...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 10. (Hucusque satis,
ut loquamur ad litteram...)*

1245, settembre

Iustituario Terrae Laboris, super depositione sua, ut exigat subuentionem a clericis

1. Hucusque satis, ut loquamur ad litteram, pacem quesiuimus, gratam nobis et a cunctis gentibus uotis affectatam, ad quam per humilitatis et patientiae holocaustum recte captandam preter sacrum Imperii ius et morem se pluries nostra inclinauit humilitas, petitionis suae uotum tanto celerius adeptura, quanto pax a Petri uicario, cui legatum pacis hominibus erogandae commissum est, patientius petebatur. 2. Vulnus enim immedicabile, quod latebat interius, externi curam medicaminis insensurum, sub mitis medici cura computruit et cordis intima, pro dolor!, uehementer inuasit. 3. Congregauit enim Lugdunense Concilium, quod inuiti referimus, Romanus antistes, per quod ferrum gentibus prebuit: et quod sedasse debuerat letale discidium, nostris temporibus letaliter incitauit. 4. Restat itaque mederi per gladium putres partes, audacter abscindere, ne subsequenter imputres per coadherentiam putrefiant. 5. Ad salubre igitur et festinum subsidium procurandum, fidelium nostrorum omnium promptas exquirimus uoluntates, ecclesiarum potissime et personarum ecclesiasticarum, in quibus profundius laborat infirmitas, speciale subsidium inquirentes, quorum uota concurrere manifeste conicimus uotis nostris, ut quanto fuerit succursus agilior, tanto magis indigens et promptior sit cautela. 6. Quocirca fidelitati tuae firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus ab eisdem clericis, iurisdictioni tuae subditis, tertiam partem obuentionum et prouentuum omnium, pro tam salubri et necessaria subuentione prestanda, instanter exigas et recolligas festinanter, ipsam

ad Cameram nostram celeriter transmissurus. 7. Clerici nichilominus cura protegantur Imperii pastoris negligentia uel temeritate dispersi. 8. Volumus, quod de bonis patrimonialibus, quae in Imperio possident, contingentem eos collectam exsoluere more solito auctoritate nostra compellas. 9. Quoscumque uero ex eis in solutione quantitatis subsidialis eis impositae uel imponendae repereris contumaces, nostri carceris excidiis aggreges, ne per impunitates scelerum intentionem aggrauent delinquendi.